



The Holy See

BENEDICTVS XVI

EPISTULA DATA

VALTHERO S.R.E. CARDINALI KASPER

PRAESIDI PONTIFICII CONSILII

AD UNITATEM CHRISTIANORUM FOVENDAM,

NOMINATO MISSO EXTRAORDINARIO

AD CELEBRATIONES EXEUNTIS ANNI PAULINI,

QUAE IN TERRA SANCTA SOLLEMNITER AGENTUR

Venerabili Fratri Nostro

VALTHERO S.R.E. Cardinali KASPER

Praesidi Pontificii Consilii ad Unitatem Christianorum fovendam

Postquam nonnulla eadem loca quae Gentium Apostolus calcavit, magno cum animi delectamento invisimus, Nos, universa cum Ecclesia *Annum Paulinum* celebrantes, theologiam eius spiritalemque doctrinam diligentissime perscrutamur dum plurima Pastorum incepta in terrarum orbe animi Nostri laetitia et propensione perspicimus. Mirabili enim modo sancti Pauli scripta de Christo eiusque salvifica opera, de unitate populi Dei, de rebus novissimis deque iustificatione et transitu a peccato ad libertatem Ecclesiae doctrinam saeculorum decursu illuminaverunt nec non praecipuum hodiernae etiam christianae considerationis et asceticae meditationis fontem constituunt.

Ille qui in iuventute Ecclesiam persequebatur Dei (cfr *Gal 1, 13*), peculiarem accepit a Domino gratiam dum Damascum se conferret Eiusque vocem audiret: "Surge et ingredere civitatem, et dicetur tibi quid te oporteat facere" (*Act 9, 6*). Post hunc cum Domino Resuscitato occursum conversus, Evangelium nuntiare coepit, novas instituere christianas communitates atque epistulas exarare quibus fideles, nostra etiam aetate, ad veram agendam conversionem adhortatur novumque spiritale iter prosequendum. Beatus ille Apostolus, qui dixit "Mihi vivere Christus est" (*Philp 1, 21*), quoniam exemplar nobis est divinae voluntatis quaerendae et adimplendae,

omnimodae Domino eiusque Ecclesiae deditio nec non spiritus maxime ad humanum cultum aperti.

Quandoquidem *Annus* Apostolo Paulo dicatus ad finem iam vergit, placet Nobis eminentissimos quosdam Viros in illa loca mittere, in quibus praeclarus ille Christi Evangelii nuntiator vitam suam navitatemque gessit quaeque iure meritoque *Loca Paulina* appellari possunt. Inter ea peculiaris esse ponderis videtur Terra Sancta ubi ille Apostolos convenit et primi Concilii particeps exstitit.

Ad Te, Venerabilis Frater Noster, mentem vertimus, qui Pontificio praees Consilio ad Unitatem Christianorum fovendam, Teque hisce Litteris Missum Extraordinarium Nostrum nominamus ad celebrationes exeuntis *Anni Paulini*, quae die XXIX proximi mensis Iunii, in sollemnitate videlicet sanctorum Petri et Pauli, Apostolorum, in Terra Sancta sollemniter agentur. De Domino Iesu loquens, quem Deus excitavit a mortuis (cfr *Rom* 10, 9), omnes illic fideles adstantes adhortaberis ut precibus, meditatione nec non spiritalium necessitatum consideratione novatis viribus novoque studio divinam voluntatem quaerere atque fidei zelo in vita cotidiana fervere velint. Coram religiosis civilibusque auctoritatibus tum momentum personae et doctrinae Apostoli Gentium tum eius sollicitudo de totius generis humani salute ut innotescant operam dabis.

Cunctos Terrae Sanctae Pastores ceterosque sacros Praesules ibidem congregatos, sacerdotes, religiosos viros mulieresque et christifideles laicos ad maiorem usque spiritalem unitatem concitans, Nostro salutabis nomine Nostramque iis ostendes benevolentiam.

Nosmet ipsi Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda intercessionem ipsius Apostoli Gentium committimus dum precibus iam nunc Te comitamur. Benedictionem denique Apostolicam libentes Tibi impertimur, signum Nostrae erga Te benevolentiae et caelestium donorum pignus, quam omnibus celebrationum participibus rite largiri volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XVI mensis Maii, anno MMIX, Pontificatus Nostris quinto.

BENEDICTUS PP. XVI

© Copyright - Libreria Editrice Vaticana